

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Pax u cum fonte primo

False pacis tres sunt species; est enim pax estimata, pax simulata, pax imperata. Dum enim inter seculares pacem querimus, dum discordes ad concordiam reuocamus, estimant seculares quod pacem inter nos habemus, dum in uestimentis ouium foras eximus et intus quasi lupi rapaces gregem simplicem fratrum lacerando dispergimus, pacem simulamus sed non habemus. Dum uero prelati subditis imperant, et eos discipline legibus non coartant, solum modo pacem docent et non tenent.

Estimant pacem seculares, simulant peruersi claustrales, imperant et non tenent tepidi pastores. Sic igitur estimatur a nescientibus, simulatur a non habentibus, imperatur a non tenentibus; sed uere pacis tres sunt species, scilicet pax probata, pax confirmata, pax certa.

Hugo de clastro anime libro III., capitulo IX.

Falsae vero pacis tres species sunt. Est enim pax opinata, pax simulata, pax imperata. Dum enim inter saeculares pacem quaerimus, dum discordes ad concordiam, revocamus, opinantur seculares, quod pacem inter nos habeamus, dum in vestimentis ovium foris incedimus, et intus quasi lupi rapaces gregem simplicium fratrum lacerando dispergimus, pacem simulamus, sed non habemus. Dum vero praelati pacem subditis imperant, et eos disciplinae legibus non coarctant, solummodo pacem docent, sed non tenent. Non enim sufficit, ut ait beatus Gregorius, ut pacem tantum doceas verbis, nisi adhibeas etiam manum correctioni. Videsne quomodo cum non sit in nobis, opinentur pacem saeculares, simulent perversi claustrales, imperent et non teneant tepidi doctores? Sic igitur existimatur a nescientibus, simulatur a non habentibus, imperatur a non tenentibus. Verae siquidem pacis tres esse species perhibentur. Est enim pax probata, pax confirmata, pax certa.

Hugo de Folieto, *De clastro animae libri quatuor*, 3, 9 (PL 176, col.1102B-C).